Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1753

Quelle:
Copyright:

tur *fol. ult.* vacuo: *Anno domini MCCCCLVIII° feria ante translacionem Sancti Wenceslai* 1. *in XLma ante dominicam Oculi Georgius de Cunſtat ſublimatus eſt in Regem Bohemie per Barones nobiles et Ciuitates.*

CCCCXLIV.

560 Codex partim membraneus, partim chartaceus, lat. Sec. XV. Folior. 226. 4. currente calamo ſcriptus, rubricisque diſtinctus eſt *Pars I. Harmoniae* ſive *Concordiae Evangelicae*, cujus Autor, cum frequenter *Joh. Wicleffum* cum proprio, tum *Doctoris Evangelici* nomine adpellet, ad *Bohemiam* Partesque *Huſſiticas* pertinet, et fortaſſis, ut ad Exemplum mutilum *Cod.* CCCCXLVII. prolatum ſuſpicionem movi, ipſe *Huſſus* eſt. Titulus Operis: *Incipit prefacio ſiue arenga ad acceſſum in Matheum.* Hoc tenore: *In dei nomine. Amen. Quia kariſſimi ut noſtis res magna manibus noſtris ſe offert, que vires noſtras nimium excedit* &c. Ideo ad fiduciam in Deum conferendam, fundendasque preces hortatur. Poſthaec Prolegomenon inſtar tractantur hae duae Quaeſtiones: *Vtrum ſcriptura ſacra per prophetas et apoſtolos de Chriſto deo et homine vero ſcripta pro omni ſua parte quo ad ſenſum literalem ſit vera.* Et: *Vtrum ſicut partium ſcripture ſacre datur conuenientia, ita earum poterit dari perfectione ſuperaddita et differentia.* Tum expoſito *Hieronymi* in *Matthaeum Prologo* Harmonia ipſa ſic init: *Lex ſeu doctrina euangelica perfectiſſima eſt, per ſe ſufficiens ad regimen eccleſie militantis, cui non licet quicquam addere uel ſubtrahere* &c. quam Theſin peculiari Opuſculo a *Joh. Huſſo* propugnatam habes *Cod.* nobis DCCCCLXVIII. et in Edit. *Opp.* ejus 1715. P. I. p. 55. Finitur haec *Pars* in expoſitione C. IV. *Lucae v.* 30. et ſubſcribitur: *Finis huius prime partis anno domini M°. CCCC°. XXXVII°. feria II. in die felicis martiris.*

CCCCXLV.

Codex chartaceus lat. Sec. 561 XV. Folior. 169. 4. ſcriptus, uti praecedens, eſt *Pars II. Harmoniae* ſive *Concordiae Evangelicae*, quae ſic incipit: *Poſtquam a principio corporis euangelici actum eſt de ingreſſu ſaluatoris noſtri ihesu in hunc mundum per eius conceptionem et natiuitatem, et poſt hoc de eius progreſſu per hunc mundum per eius legislacionem — iam agitur de eius egreſſu de hoc mundo per eius paſſionem.* Hic itaque Hiſtoria Paſſionis usque ad Aſcenſionem Domini enarratur, fuſius multo, quam quidem inter Opera *Huſſi* P. II. p. 12. terminaturque pia Lectorum adhortatione, proteſtatione, lapſuumque deprecatione, cui ſubſcriptum: *Explicit Scriptum ſuper Quatuor Euangelia Mathei videlicet Marci Luce et Johannis in vnum concordata. Quod ad honorem dei et proximorum profectum*